



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



27.
VNIVER-

SALIA

publicè disputata

IN CATHOLICA ET CELEBRI
VNIVERSITATE DILINGANA;

P R Æ S I D E

IOANNE BERNARDO
SOCIETATIS IESV, PHILOSO-
PHIÆ PROFESSORE ORDI-
NARIO:

R E S P O N D E N T E

IOANNE IODOCO BACHMAN
LVCERNATE HELVETIO, PHILOSO-
PHIÆ BACCALAVREO, PHYSICÆ
& Canonici Iuris Studiofo.


ANNO clō lōc XXXI. Die Maij.

Cum Facultate Superiorum.



D I L I N G Æ ,

Operis CASPARI SVTORIS.



NOBILI AC STRENUO
VIRO, DOMINO

JOANNI
VVYSING REIPUBLICÆ
LVCERNENSIS A CONSILIIS,
COMITATVS HAPSPYRGIGI
PRAEFECTO &c.

DOMINO SVO AVO AETERNVM
AMANDO ET COLENDO

H A S

*Grati animi, noui amoris, Veteris ob-
seruantia testes*

Lubens merito, dicat, offert, consecrat.

IOANNES IOBOCVS
BACHMAN.



THESES PHILOSOPHICÆ
 De
 VNIVERSALIBVS.
 ARGUMENTUM



*Um si necessarium (ut Chrysaorio suo referi-
 plic Porphyrius) & ad eam, qua est apud Ari-
 stotelm prædicamentorum series, nasse quid
 sit genus, quid species, quid differentia, quid
 proprium, quid accidens, & ad definitionum
 assignationem, & omnino ad ea, qua de diviso-
 ne & demonstratione sunt, idcirco placuit &*

*nobis hanc ipsam de vniuersalibus materiam
 publicis his proponere, & explicare Thesi-
 bus; loquemur autem in primis de vniuersali in generali, tum dein-
 de de eodem in particulari.*

T H E S I S I.



VNIVERSALE communissime acceptum à Logicis du-
 plex statui solet, complexum & incomplexum; com-
 plexum est vel Effatum aliquod commune, vnde plura
 colliguntur, vt illud *Aristotelis 4. Metaph. text. 27. impos-
 sibile est idem simul esse, & non esse*; vel est propositio qua-
 nis notata signo vniuersali, vt hæc, *omnis homo est rationalis*: vniuer-
 sale incomplexum, vt *Comimb. præfat. in Porphyr. q. 1. art. 1. docent,*
 Est vnum quid ad multa pertinens, vel vt *Complutenses disp. 3. de es-
 sentia vniuersalis num. 3. definiunt, vniuersale incomplexum est, quod
 termino simpliciter significatur, & est sic vnum, vt dicat aliquem ordi-*

nem ad plura. De vniuersali complexo nos hic non agemus, sed de incompleto.

II.

Quia verò ille ordo, quem vnum ad plura dicit, varius est & multiplex. etiam vniuersale varium & multiplex assignari solet; potest enim primò vnum aliquod habere ordinem ad plura. vt causa eorum, & hoc appellatur Vniuersale in causando, vt VG. est Deus, Sol, aliaque causæ communes. 2. Vt imago mentalis, & signum latè acceptum, & hoc dicitur vniuersale in representando, cuiusmodi sunt Vt conceptus nostri, quibus naturam aliquam communem cognoscimus. 3. Vt signum strictè dictum, & hoc vocatur vniuersale in significando, sic se habent voces communes ore vel scripto prolatae, quæ plura significant. 4. Denique potest aliquid habere ordinem, ad plura quibus inest, vel de quibus prædicabile est; prius dicitur Vniuersale in essendo, postèrius vniuersale in prædicando. Atque de tribus prioribus exigua nobis hic est lis, aut quæstio; maior de duobus vltimis.

III.

Vniuersale itaque in Essendo (quod ab alijs Metaphysicum dicitur) est id quod pluribus inest, seu pluribus inesse aptum est, ita *Aristoteles lib. 1. de partib. animal. cap. 4. quæ enim, ait, pluribus inest, vniuersalia (vtique in essendo) appellamus. & 7. metaph. text. 45. Vniuersale (in Essendo videlicet) id dicitur, quod pluribus naturæ aptum est inesse*; Vniuersale autem in prædicando (quod Logicum appellatur) est id quod de pluribus prædicari potest; ita *Aristot. 1. Periberm. cap. 5. Dico autem vniuersale (nempe in prædicando) quod de pluribus prædicari natum est*. Hanc vtramque definitionem vt intelligamus faciliùs, paulò fusiùs de vtroque vniuersali differemus.

IV.

Et quidem cum omne nomen Concretum duplex habeat significatum, materiale & formale, Vt hoc concretum nomen Album materialiter significet illud subiectum quod affectum est albedine, formaliter verò ipsam albedinem, dubium esse non potest, quin etiam hoc nomen Vniuersale (vt pote concretum) duo inuoluat significata, materiale & formale; de vtroque acriter à philosophis disputatur, alijs hoc, alijs illud vociferantibus; nos differentientium à nobis opiniones multis referre aut refellere volumus, nostras tantùm sententias damus.

V. Ma-

V.

Materiale ergò significatum vniuersitatis in Essendo, & prædicando, sunt ipsæ res. hoc est, ipsa prædicata Essentialia, seu naturæ communes, quæ reperiuntur in singularibus. Ita expressè *Aristoteles 1. peri Herm. c. 5. Rerum*, inquit, *alia sunt Vniuersales, alia singulares.* quæ Philosophi verba interpretans *D. Thomas Lect. X. dicendum est.* ait, *quòd hic diuiduntur res secundùm quòd significantur per nomina, & paulò post, ipse Aristoteles, inquit, non diuisit nomina in Vniuersale & particulare, sed Res;* accedit quòd communi omnium Doctorum consensu id videatur esse materiale significatum Vniuersalis, circa quòd scientiæ diuidendo, definiendo & concludendo versantur (scientiæ enim sunt circa Vniuersalia) at certè eam philosophus definit, Equum esse hinnibilem, aut concludit, ergo corpora mixta constant quatuor primis qualitibus, vtrique non est sensus, quasi hæc vox, Equus, fit hinnibilis, aut quòd hæc voces, Corpora mixta, frigide & calida, tumida & sicca sint, sed quòd res ipsæ significantur per has voces.

VI.

Posito igitur quòd prædicata Essentialia seu res ipsæ sint materiale Vniuersalis significatum, vterius quaeritur quid in ijs à parte rei sit, ratione cuius sint capaces Vniuersalitatis, an id sit vnitas numerica, an vnitas formalis, an similitudo? quòd vt decidam, suppono. vnum nihil esse aliud, quàm aliquid indiuisum, & vnitatem nihil esse aliud quàm indiuisiōnem, seu negationem Diuisiōnis, vt colligitur, clarè ex *Aristoteli 10. Metaph. t. 2.* vbi ait, *propter quòd vnum esse, est indiuisibile (sive indiuisum) esse, & 5. Metaph. t. XI.* vbi sic loquitur, *Vniuersaliter namque, quacunque non habent diuisiōnem, quatenus non habent, eorum vnum dicuntur;* Vnde colliges tot posse assignari indiuisiōnes seu vnitates, quòd sunt assignabiles diuisiōnes illis vnitatibus oppositæ.

VII.

Duplex autem communiter ab auctoribus assertur Diuisio, vt videre est apud *Caiet. de Ente & Essentia cap. 4. 4. 6, & Murc. d. 1. de vniuers. q. 5.* Vna essentialis seu formalis, altera numerica seu materialis, Essentialis est illa quæ fit per differentias essentialis, sine, est diuersitas prædicatorum essentialium, sic dicunt hominem & Ceruum differre essentialiter, siue habere diuisiōnem essentialem secundam differentiam essentialem vltimam, quia habent diuersitatem.

X

Et tamen in adæquate loquendo de vnitae formali rot dentur vnitates formales in quolibet indiuiduo, quot reperiuntur in eodem gradus Metaphysici seu prædicata essentialia, VG. in Socrate sicut datur gradus substantiæ, gradus corporis, viuentis, animalis, hominis; ita etiam totidem dantur formales vnitates in adæquate, quarum prima respondeat gradui substantiæ, secunda gradui corporis, & sic deinceps; omnes tamen hæc vnitates vnam adæquatam constituunt: probabile insuper est has inadæquatas vnitates plus non, quam ratione distingui inter se, nec maiorem inter vnitatem formalem & numericam intercedere distinctionem: quibus suppositis.

XI.

Certum est primo, à parte rei ante omnem intellectus operationem dari in quouis indiuiduo vnitatem numericam, per quam illud indiuiduum vnum in se & indiuisum constituatur, quodcumque enim Ens quatenus habet indiuisiõnem, eatenus est vnum, adeoque habet vnitatem; constat autem, quoduis indiuiduum habere à parte rei negatione diuisionis numericæ, cum Socrates yg. non sit in plures Socrates diuisus aut diuisibilis. Enimvero ratione huius vnitatis numericæ non fiunt res capaces vniuersalitatæ, singulare namque qua tale non fit vniuersale, vt innuit *Aristot. 7. Metaph. s. 57.* pronuncians, *Vniuersalia esse in singularibus*, ergo nõ ipsa singularia quæ talia fiunt vniuersalia. Certum est 2. etiam formalem vnitatem dari à parte rei in quouis indiuiduo, nam sicut quoduis indiuiduum habet vnam & indiuisam in se Hæcceitatem, ita etiam habet vnam adæquatam & in se indiuisam essentiam, quæ indiuisio aliud non est, quam vnitatis essentialis seu formalis. Dubium tamen est, an hæc vnitatis formalis sit à parte rei vna formaliter.

XII.

Aio ergo, tamen hæc vnitatis formalis in quouis indiuiduo sit numericè distincta ab alijs vnitatibus formalibus aliorum indiuiduorum numero distinctorum, est tamen ea vna formaliter à parte rei in omnibus omnino indiuiduis eiusdem speciei aut generis, atque aded Socrates & Plato à parte rei vnum sunt formaliter vnitatis formali genericæ & specificæ, Bucephalus autem & Plato vnum formaliter vnitatis formali genericæ; nec est quod hi tales termini rursus tibi aut bilem moueant, idem enim est dicere, Bucephalus & Plato sunt

so sunt vnum formaliter formali vnitare generica, atque hæc duo esse vnins & eiusdem generis, siue non habere genere diuersa prædicata essentialia; hinc non sequitur suspensio Iudæ omnes homines esse suspensos, sed hoc, Iudam suspensum, fuisse eiusdem nobiscum generis & speciei, adeoque vnum formaliter nobiscum fuisse, à qua denominatione nemo aduersariorum se eximet, nisi se & hominem, & animal, & viuens & corpus & substantiam neget.

XIII.

Hanc formalem vnitatem à parte rei formaliter vnã, alij, nec malè, conuenientiam sine conformitatem prædicatorum essentialium vocant; alij etiam similitudinem substantialem: quamuis hi vltimi (nisi fateantur se nomen Similitudinis latius minúsque propriè accipere) à modo loquendi Aristotelico videantur paululùm recedere, qui solum in qualitatibus propriè similitudinem, non in substantijs, agnoui, sic enim 5. Metaph. t. 20. loquitur, *Eadem sunt quorum substantia vna, similia verò quorum qualitas vna, equalia, quorum quantitas vna.* Ex hæcenus itaque dictis satis elucet, materiale Vniuersalis significatum esse naturas communes seu prædicata essentialia à parte rei formaliter vna: nunc formale est indagandum significatum.

XIV.

Qua in re arbitror, vt natura aliqua iam à parte rei formaliter vna fiat postmodum completè & formaliter vniuersalis, duo requirit, vnitatem præcisionis & aptitudinem pluribus inessendi, quibus duobus formale vniuersalis significatum constituitur, vt apertè colligi videtur ex definitione Vniuersalis in essendo 7. metaph. t. 45. ab Aristotele traditâ & superius thes. 3. relatâ; vbi per Particulas positas in singulari, *Id, QVOD, APTVM*, insinuat Philosophus vnitatem, non numericam vtique aut formalem (cum hæc à parte rei ante omnem intellectus operationem reperiuntur, cum tamen Vniuersale completè & formaliter sumptum non detur à parte rei ante intellectus operationem, vt docet Aristot lib. 1. de anima t. 8. Vniuersale, inquiring, aut nihil est, aut posterius, scilicet per operationem intellectus præscidentis, vt locum hunc interpretantur *Conimb. c. l.*) sed præcisionis, per verba autem illa, *APTVM INESSE PLVRIBVS*, aptitudo innuitur, quam aptitudinem pluribus inessendi sequitur vt ptoprietas aptitudo de pluribus prædicandi.

XV.

Est autem vnitatis præcisionis nihil aliud, quam ipsa vnitatis formalis non prout à parte rei illa reperitur, & prout est multiplicata numericè secundùm multiplicationem indiuiduorum, sed prout subsistat intellectui nostro præscindenti eam & liberanti à singularitatibus, seu differentijs indiuiduantibus, quibus à parte rei est immersa; nec illis assentior, qui opinantur hanc præcisionis vnitatem esse Entitatis actualem, reuera enim illa in naturam præcisè conceptam resultat, tametsi nullus de ea vnitatis præcisionis reflexè cogitet.

XVI.

Aptitudo verò pluribus inessendi non est positiva sed negatiua tantùm, seu non repugnantia naturæ abstractæ quæ abstracta est, vti iam pluribus cum indiuisione, hoc est, indiuisa, inesse apta sit. Neque obijcias naturis à parte rei ante omnem mentis operationem iam inesse aptitudinem pluribus inessendi, cum à parte rei natura v.g. humana de facto pluribus insit indiuiduis, Respondeo enim, id verum quidem esse, sed eam aptitudinem incompletam & imperfectam esse, utpote quæ adiunctam habeat diuisionem numericam, à qua tamen diuisione numericâ dum natura v.g. humana per intellectus præcisionem abstrahitur, iam acquirit perfectam & completam aptitudinem, cui vt sic numerica non sit adiuncta diuisio.

XVII.

Declarato sic vtroque vniuersalis significato tam materiali quàm formali, inuestigandum superest, per quamnam noticiam fiat aut cognoscatur vniuersale: qua in re mihi placet sententia *Toleti q. 2. de primis & secundis intentionibus. Smiglezi, diss. 4. q. 2. & aliorum doctentium vniuersale formaliter & complete acceptum fieri per noticiam directam, abstractiuam, & absolutam, cognosci autem per noticiam reflexam & comparatiuam, sic eo ipso quod ego naturam humanam à parte rei formaliter vnam directè concipio non conceptis differentijs indiuiduantibus. oritur in naturam sic conceptam præcisionis vnitatis & aptitudo perfecta pluribus inessendi. adeoque vt sic directè sic vniuersale formaliter sumptum scire autem quis cupiens quid sit natura præcisè concepta, reflectit se supra naturam prius directè præcisam & ait, natura humana seu Homo præcisè acceptus est species &*

B

prædica-

prædicabilis de pluribus numero differentibus, vbi est reflexa & comparatiua cognitio.

XVIII.

Hinc deduces primò, Vniuersale formaliter sumptum fieri in statu existentie obiectiuæ, non in statu existentie aut existentie realis. Est autem status existentie obiectiuæ seu abstractæ, in quo naturæ conueniunt prædicata secundò Intentionalia, hoc est, illa quæ naturam abstractam vt abstractam à differentijs cōtrahentibus sequuntur, vt si dicas, Homo est species, animal est genus: status existentie ille est, in quo naturæ competunt prædicata essentialia & necessaria, vt cum dico, Homo est rationalis, Equus est hinnibilis: status deniq; existentie realis seu contractæ est is, in quo conueniunt naturæ prædicata contingentia, vt Homo est albus, aqua est calida; primo statui respondet suppositio simplex, secundo Statui suppositio absoluta, tertio ferme personalis, vt videre est apud *Fonsec. lib. 3. Institut. cap. 42. §. 1099.*

XIX.

Deduces 2. in enuntiationibus directis, vt si dicas, Socrates est Homo, Bucephalus est animal &c. prædicari naturam Vniuersalem non reduplicatiuè quâ vniuersalis & abstracta est, sed specificatiuè seu eam quæ est abstracta, atque adeò præcisiuam intellectûs abstractionem non habere se vt partem formalem ipsius prædicati, sed tantum esse conditionem requisitam. Rectè itaque sentiunt & loquuntur Smiglez. disp. 3. q. 9. concl. 3. & hic citatus Scotus q. 9. & 12. in Porphyrium, alijsq; docentes perire rationem vniuersalis seu Vniuersalitatem in actuali prædicatione directâ, vbi enim, inquiunt, est coniunctio cum singularibus non habet locum abstractio, huiusmodi verò coniunctio fit in directâ prædicatione; sicut ergo, inquit Smiglez. l. c. cum dico, cæcus videt, mortuus viuunt, indiuisum diuiditur, sensus est non compositus, sed diuisus, videlicet eum qui fuit cæcus, iam videre, & eum qui erat mortuus, iam viuere &c. ita etiam cum dico, Socrates est Homo, sensus est, Socratem habere naturam humanam, quæ fuit abstracta priuè, non quæ de facto adhuc est abstracta, aliàs Socrates esset species, quod nemo sanus dixerit. Hæc de Vniuersali in communi.

XX. De-

Descendendo autem ad particularia, recepte iam in scholis & vera sententia est, quinque esse vniuersalia, genus, speciem, differentiam, proprium & accidens; quidquid enim est vnum in multis, vel est essentialis, vel extra essentialis, si essentialis, vel est tota essentia, & dicitur species, vt Homo, vel est tantum pars essentia, si tantum pars, vel est pars materialis & contrahibilis, & habetur genus, vt animal, vel est pars formalis & contrahens, & est differentia, vt rationale; si verò sit extra essentialis, vel est aliquid necessariò connexum essentia, & fit proprium, vt risibile, vel denique tantum contingenter se ad essentialiam habet, & est accidens. Alio modo hunc quinquenarium Vniuersalium numerum colligit Fonsc. lib. 2. Instit. c. 7.

GENUS EST ID, QUOD DE PLVRIBVS DIFFERENTIIS SPECIE IN EO QUOD QUID EST, PRÆDICATUR, vt animal, ita Porphyrius *esp. 2.* per Voculam PLVRIBVS differt genus ab individuo, quod tantum de vno singulari prædicatur; per voculas DIFFERENTIIS SPECIE, distinguitur genus à specie, quæ de solo numero differentiis dicitur; per illa denique, IN EO QUOD QUID EST, differt tam à differentia, quàm proprio & accidente, quæ tria tantum in QUALI vel essentialiter, vel accidentaliter prædicantur. Cum audis, Genus est quod de pluribus specie differentiibus dicitur, subintellige, specie essentiali, licet enim rectè dicas, Gallus est Homo, Hispanus est Homo, Italus est homo, non tamen Homo fit genus, quia tantum de pluribus specie accidentaliter differentiibus prædicatur.

Definitum in hac Genus definitione est natura ipsa prout substat Genereitati, hoc enim solenne est in definitionibus concretorum accidentalium (quale etiam est genus) vt subiectum prout substat formæ accidentali, sit definitum. Tamen si autem Genus pars tantum essentialis sit, tamen IN EO QUOD QUID EST, prædicabile est, quia per modum totius (non actualis, sed potentialis) per se subsistentis, & significati nomine substantiuè exprimitur, quod vltimum deest differentia essentiali, quæ ideò non in QUID, sed QUALI QUID PRÆDICATUR; Denique non actu, sed potentia à genere contineri differentias

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

tias inferiores oppositas rectè docet *Aristoteles 7. Metaph. 1. 42. & Porphyrius cap. 4. de Differ.*

XXIII.

Species infima (non subalterna) secundùm *Porphyrius cap. 9.* EST ID, QVOD DE PLVRIIVS DIFFERENTIBVS NVMERO PRÆDIGATVR, cui definitioni Porphyrianæ rectè addideris ex Philippo de Triu. tract. 1. p. 2. c. 2. a. 3. duas has particulas, tantùm & solo, vt sic adæquatè distingvas, genus à specie, licet enim dicere possis, Socrates est animal, Plato est animal, Aristoteles est animal. animal tamen non fit species, quia non tantùm de differentibus numero solo, sed etiam specie differentibus prædicabile est; similiter licet rectè dicas, Hæc rosa est viuens, hoc lilium est viuens, hic Narcissus est viuens, non tamen viuens fit species, quia non de solo differentibus numero prædicatur, cum hi flores etiam essentiali inter se specie differant,

XXIV.

Circa speciem sequentia in super statuo. 1. Tametsi species subijcibilis & prædicabilis semper sint formaliter oppositæ, sæpe tamen materialiter coincidunt, Homo enim est & subijcibilis respectu animalis, & prædicabilis species respectu indiuiduorum inferiorum. 2. Sola species infima, non item subalterna, constituit secundum Vniuersale, cum sola species infima prædicabilis tantùm sit de solo differentibus numero in quid. 3. Species infima non quâ subijcibilis, sed quâ prædicabilis, est secundum Vniuersale, respectu enim inferiorum non respectu superiorum est Homo prædicabilis de pluribus.

XXV.

4. Natura Generis Physicè spectata potest conseruari in vna specie, & natura speciei Physicè spectata in vno indiuiduo, etiam si nullum indiuiduum esset possibile, hinc si solus Adamus fuisset creatus ita vt nullum aliud animal. nec vllus alius homo fuisset possibilis, tamen & natura animalis, & natura hominis vtique tota Physicè spectata in vnico remansisset Adamo. 5. Natura autem generis spectata quasi Metaphysicè, hoc est, secundum omnimodam perfectionem possibilem, non potest conseruari in vnâ specie, tametsi possit natura specifica sic spectata conseruari in vno indiuiduo. 6. Natura denique Generis Logicè spectata potest conseruari in vnâ specie modo plu-

DE VNIVERSALIBVS.

quod plures sint possibiles, & natura speciei Logice spectata conseruari potest in vno individuo, modò plura sint possibilia; Hinc colliges, si Angeli singuli sint specie distincti, nec plures eiusdem speciei Angeli sint possibiles. vnum aliquem Angelum v.g. Gabrielem non fore speciem Logicam, sed Physicam tantum.

XXVI.

Tertium Vniuersale nec differentia Communis, nec Propria sed Propriissima, sine Essentialis constituit, quæ sic definitur à *Porphyrio cap. 4.* EST ID, QVOD DE PLVRIBVS SPECIE DIFFERENTIIBVS IN QVALE QVID PRÆDICATVR, vt sensitiuum; quamuis autem hæc definitio soli conueniat differentie genericæ, facillè tamen eam etiam, specificæ applicabis, si loco, SPECIE, substituas, numero differenti- bus: hæc porrò differentie immediatè quidem de vno tantum videntur prædicabiles, generica de Genere, vt si dicas, animal est sensitiuum, specifica de specie, vt Homo est rationalis, mediatè tamen vtraque de pluribus est prædicabilis: credibile insuper est, superiores differentias formaliter non includi in differentia inferiore.

XXVII.


Proprium quidem quadrifariam potest, & solet accipi, vt ait *Porphyr. cap. 5.* & ex illo *Philippus de Trien. tract. 1. p. 2. c. 3. a. 2.* solum, tamen quarto modo acceptum constituit quartum prædicabile, & dicitur esse ID, QVOD CONVENIT OMNI, SOLI, SEMPER ET EST CONVERTIBILE CVM SVBIECTO, vt risibile, rugibile &c. vel est ID QVOD PRÆDICATVR DE PLVRIBVS IN QVALE ACCIDENTALITER ET NECESSARIO, vt ait *Foufsc. lib. 2. Instit. cap. 6.* Dum igitur, Conditiones requiruntur ad Proprium quarto modo, primo vt id non proueniat ex causis extrinsecis, sed ex ipsa rei essentia dimanet, hinc nigredo in Coruo non est Proprietas quarto modo. 2. vt ad- quate ex Essentia dimanet, hoc est, aliunde siue ex alia Essentia non dimanet, hinc summus calor etiam (si quidem aër etiam vt octo sit calidus à natura) non erit proprietas quarto modo ipsius ignis. Est autem proprium specificum non ratione speciei sed ratione Individuorum Prædicabile, vti etiam Genericum Proprium est Vniuersale in- Prædicando non ratione Generis sed specierum, vt rectè docent *Cosimb. q. 1. de proprio. art. 3.* nec potest proprium quarto modo quo-

ad exigentiam diuinitus separari à subiecto, licet possit quoad suam
Entitatem & existentiam.

XXVIII.

Accidentis Contingentis tres affert Porphyrius cap. 6. defini-
tiones, præcipua hæc est, ACCIDENS EST ID QUOD ADEST ET AB-
EST SINE SVBIECTI CORRUPTIONE, SIUE EST ID, QUOD DE
PLVRIBVS ACCIDENTALITER CONTINGENTER PRÆDICATUR,
nec est quod accidentia corruptiua VG Mortem, incendium &c.
hinc excludas, nam & hæc adsunt sine Logicâ corruptione subiecti,
licet non sine Physicâ. Ex quibus omnibus colliges probabilem esse
sententiam *Comimb. in Prefat. Porphyrii q. 7. a. 2. Concl. 2. Vniuersale*
in Essendo (si quidem uocula Inesse Primariò tantum
essentialibus attribuatur Prædicatis) esse genus
analogum ad *g. species.*

AD MAIOREM DEI GLORIAM.



PARERGA EX RELI- QVA LOGICA.

I.

Tametſi Logica ſit vera Virtus intellectualis,
non eſt tamen ſtrictè dicta ars, aut ſcientia
Ariſtotelica.

II.

Idem habitus poteſt eſſe Docens & Vtens Logica.

III.

Res in X. prædicamentis poni ſolitas compendio
tradit

P A R T I A.

tradit Aristoteles cap. 2. Antepæd. *Eorum*,
inquiens, *qua sunt* (scilicet in prædicamen-
tis) *alia quidem de subiecto aliquo dicun-
tur, sed in subiecto nulla sunt*, vt substantiæ
Vniuersales, *alia in subiecto sunt, sed de nul-
lo subiecto dicuntur*, vt accidentia singula-
ria, *alia sunt in subiecto, & de aliquo subie-
cto dicuntur*, vt accidentia Vniuersalia, *alia
denique nec sunt in subiecto, nec dicuntur
de subiecto*, vt substantiæ singulares.

IV.

Relatio prædicamentalis modaliter à fundamen-
mento distinguitur.

V.


Nostri formales Conceptus sunt signa formalia &
naturalia, voces & scripta sunt signa instru-
mentalia & ex instituto.

VI.

Affensus Conclusionis causatur ab assensu Præ-
missarum in genere causæ Efficientis Mo-
ralis.

VII.

Licet intellectus habitis assensibus Præmissarum
Evidentibus necessitetur ad assensum Con-
clusionis quoad Ipecificationem, non ta-
men quoad Exercitium.



**PER DOCTO DOMINO
DEFENDENTI.**

SCILICET hybernis ne frigida certet Athenis
Musa, Stagiræi musa patrona fori,
Hæstenus altiloquæ suspendis vota palæstræ,
Et Logicæ indicis prælia verna tuæ.
Crediderim Iani reuoluto ad limina Phœbo
Auspicium logicæ te petiisse tuæ.
Vicerunt flores, & ridens multus in agris
Maius, & hyberni nescia Flora gelu.
Non etenim est rigida merces tam florida brumæ,
Materies fertis vnde petenda tuis.
Et licet annosas perserpant plurima quercus,
Nil tamen est hederæ, quod tibi nesciat hyema.
Sed quæ ferta mihi? Dices. Iam laurea nuper
Crinibus accessit (sacra corona) meis.
Non tantum miles meruit sua ferta peritus,
Sed qui contra hostes non timet ire suos.

Accinatis

*Jacobus Bürgin Lucernæ Helveticus
Logicæ Studiosus.*

F I N I S